



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

1. In quo consistat causalitas finis respectu humanæ voluntatis.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)



DISPUTATIO PRIMA.

De causalitate finis, respectu humanæ voluntatis.

Vniuersa hæc doctrina maxima ex parte versatur in explicandis humanis actionibus, quatenus humanæ sunt, ac bonitatis ac malitię moralis capaces: in quo potissimum à fine pendent, qui est principium moralium actionum, & ideo prius hanc Disputacionem præmittendam duxi, in qua munus, varios modos, rationem, seu distinctionem finis explicabo: hæc enim Disputatio necessariò præmittenda videtur, ad explicandam nonnulla principia, & varium titulum, quibus in sequentibus utendum nobis est, ne cogamur eadem semper repetere: curabimus autem à quæstionibus philosophicis, quoad fieri potest, abstinere, aut cas tantum breuiter attingere, quantum ad rem Theologicam fuerit necessarium.

SECTIO I.

In quo consistat causalitas finis respectu humanæ voluntatis.

I. Primum omnium statuendum est, finem, & causalitatem eius, qualiscunque illa sit, propriè suum locum habere in voluntate humana, & in actibus, seu effectibus eius, quod est certissimum. Primum ex modo loquendi Scripturæ sacræ, vbique enim tribuit homini modum operandi propter finem, quod maxime illi conuenit ratione voluntatis, ad Roman. 8. Propter rem mortificamur tota die, &c. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. & Psalmo 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificaciones tuas, propter retributionem. Secundo experientia constat, hominem non casu, nec fortuito in incertum ferri, sed in definitum finem dirigere operationes suas. Tertio constat etiam ratione, quia motio finis præcipuè habet locum in agentibus per intellectum: nam finis mouet agens ad operandum, mouet autem per cognitionem, agens autem intellectualem maxime cognoscere potest rationem finis, & ordinem eius ad media: ergo voluntas, quæ ratione ducitur, maxime potest moueri à fine.

II. Secundo, vt intelligatur proprius quæstionis sensus, supponendum est ex Caiet. 1. part. quæst. 5. art. 4. & clarius 2. 2. quæstion. 17. art. 5. sicut in causa efficiendi quatuor distinguuntur, ita etiam posse in causa finali distingui, scilicet, res quæ causat, ratio, seu forma, quæ est principium causandi, causalitas eius actualis, & effectus causatus: in hac sect. præcipuè agimus de tertio, scilicet de causalitate actu alii finis, quæ intellecta, facile constabit, quis sit, & quotuplex effectus finis in humana voluntate: de ratione autem seu principio causandi, dicemus postea in sectione tertia: & inde constabit, quænam res possit esse causa finalis. Quare in vniuersum, in omni ge-

Franc. Suarez, De fine Hominis.

nere causæ, illa res potest rationem causæ participare, cui potest conuenire forma illa, quæ est ratio causandi.

Tertio, his positis, duæ possunt esse extremæ sententiæ in præsentia sect. Prima est, causalitatem finis non consistere in motione aliqua effectui humanæ voluntatis, sed in hoc solum, quod effectus, qui à voluntate progreditur, in aliquid vt in finem ordinetur, ita vt esse finem nihil aliud sit, quam esse id, cuius gratia aliud fit: nam hoc modo rationem finis Aristoteles vbique describit, præsertim 2. Physicor. & 5. Metaphysic. Vnde Caietanus supra dicit, causalitatem finis esse innominatam, significari verò per hanc vocem esse propter quod, seu id esse, cuius gratia. Et potest suaderi hæc sententia, quia in operibus Dei est propria causalitas finis, Deus enim verè ac perfectè operatur propter finem: sed respectu Dei non potest hæc causalitas consistere in motione voluntatis eius, vt videtur per se notum, quia id esset maxima imperfectio in Deo. Similiter in inferioribus agentibus naturalibus est propria causalitas finis, quæ non potest consistere in motione agentis, cum nõ cognoscat finem: ergo similiter in voluntate humana, quæ est quasi media inter Deum, & res inferiores, philosophandum est. Secundo, quia vix potest intelligi, quæ vel qualis illa motio, quia vel est aliquid antecedens actum voluntatis, & hoc non, quia nihil est in voluntate: vel est ipsemet actus voluntatis, & hoc non, quia talis actus potius est effectus finis, quàm causalitas eius: mouet enim finis ad talem actum trahendo, & alliciendo voluntatem: ergo &c.

Nihilominus hæc sententia nec rem ipsam, nec communem modum loquendi Theologorū & Philosophorū explicat. Primo enim Autoritates omnes ponunt causalitatem finis in motione metaphorica respectu nostræ voluntatis: Ita sentit D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. & in quæst. de veritate, quæst. 22. artic. 2. vbi notanda sunt illa verba. Sicut influere causa efficiens est agere, ita influere causa finalis est appeti seu desiderari. & in quæstionibus de poenitentia quæst. 5. artic. 1. inquit. Finis non est causa, nisi quæ sensus mouet efficientem ad agendum: vnde vbi non est actus, non est causa finalis. 3. Metaphysic. text. 12. Et videtur hæc doctrina sumpta ex Aristot. 1. de Generat. cap. 7. Secundo, quod finis dicitur esse id, cuius gratia aliquid fit, solum est denominatio quedam extrinseca in ipso fine: ex eo quod aliquid aliud ordinatur ad ipsum: ergo non satis est hoc ad causalitatem propriam finis. Patet consequentia, tum quia hæc denominatio non dicit emanationem aliquam realem, nec influxum: tum etiam, quia alius quilibet terminus motus, & quodlibet obiectum cuiuscunque actus, quatenus est terminus, ad quem tendit operatio agentis, habebit propriam causalitatem.

III. 1. Opinio in præf. quæst.

Suadetur exemplis.

Item ratio.

IV. Impugnatur proxima opinio.

tatem finis. Item, cessante actione agentis hoc solo quod res esset propensa, seu inclinata natura sua in finem, duraret semper causalitas finis, quia semper durat illa denominatio, quod hæc res est propter illam, quæ emanare potest ex sola actione præterita, & ordinata ipsius agentis: hoc ergo solum non satis est ad explicandam hanc causalitatem finis.

V. Secunda sententia est, hanc causalitatem consistere in motione metaphorica voluntatis, quæ ex se antecedit tempore, & distinguitur ab omni actu elicitò ab ipsa voluntate. Quæ opinio in hunc modum explicari potest, quia finis non mouet voluntatem, nisi præcognitus sit: hoc autem ipso quod finis est cognitus, & bonitas eius, etiamsi voluntas per proprium suum actum in illum non tendat (est enim libera, & potest suum actum suspendere) intelligitur excitari, & moueri à fine cognito, ut ipsum amet, & intendat: hæc enim excitatio & motio antecedit consensum voluntatis, & intelligitur oriri ex coniunctione & sympathia potentiarum intellectus, & voluntatis, quatenus in eadem animæ essentia radicantur: ergo in hac motione consistit causalitas finis, quia hæc motio metaphorica non videtur posse alio modo explicari. Et hoc confirmat secunda ratio facta in præcedenti sententia: quia quidquid post hanc motionem sequitur, non est nisi amor, vel intentio finis, qui sunt actus voluntatis, qui non sunt causalitas: sed potius effectus causalitatis finis. Secundo, quia seclusa prædicta motione, postea finis solum se habet ut terminus specificans actum tendentem in ipsum: at ~~ut~~ hac ratione finis non exerceret causalitatem finis, sed potius participat causalitatem formæ specificantis, ut significat D. Thom. 1. 2. q. 2. art. 6. ad 1. & in omnibus obiectis, actus specificatiuus est eadem ratio & modus causalitatis: ergo.

VI. Hæc vero nec intelligi possunt, nec satisfacere: quia hic non agimus de causalitate finis in actu primo, ut sic dicam, seu de proxima applicatione eius ad causandum, sed de causalitate, & influxu eius in actu secundo, hic autem intelligi non potest priusquam in voluntate aliquid causatum sit, quia realis causalitas debet ad aliquid reale haberi, aliàs nihil esset: sed si in voluntate nulla est res noua, nec operatio aliqua, vel affectio, nihil intelligi potest, quod à fine causatum sit: ergo nec intelligi potest causalitas finis in actu secundo. Confirmatur ac declaratur, quia illa excitatio, quæ dicitur esse in homine cognoscente finem & bonitatem eius, antequam voluntas proprio motu moueatur, nihil aliud est reuera, quam cognitio & iudicium intellectus, nam in voluntate nihil de nouo positum est, quod ante non esset: sed iudicium intellectus non est causalitas finis, ut per se constat, sed potius est approximatio finis, ut causare possit: ergo non potest in hoc solo consistere causalitas finis. Dices fortasse ex hoc iudicio statim resultare in voluntate affectionem, vel motionem aliquam saltem per simplicem complacentiam, ratione cuius est actualiter, & vniuersaliter propensa in finem, ut illum intendat, & efficaciter amet. Sed hoc nihil refert ad rem de qua agimus, explicandam: primo quidem, quia, si hæc affectio est libera, potest voluntas illam suspendere: si autem est naturalis, non est per se ac semper necessaria ad causalitatem finis: huiusmodi enim imperfecti motus ex imperfecto modo operandi insurgunt in nobis, vel ex coniunctione appetitus, vel ex imperfecta deliberatione. At verò, seclusis his imperfectionibus, non sunt necessarij illi im-

perfecti actus, ut voluntas ex perfecto iudicio ad libertate à fine moueatur, ut videre licet in angelis, in Beatis, in Christo & Virgine, & nonnumquam etiam contingit in nobis. Deinde de illo affectu simplici redit eadem difficultas: nam ille etiam est quidam actus voluntatis, unde est quidam effectus ipsius finis, de quo inquirendum superest, quæ sit causalitas finis circa talem actum: & quod de illo dictum fuerit, dici etiam poterit de perfecto actu intentionis, seu electionis.

Dico ergo causalitatem finis circa voluntatem nostram non esse in actu secundo, donec ipsa voluntas actum moueatur, & tendat in ipsum finem. Hæc assertio probatur sufficienter argumentis factis contra secundam sententiam, & videtur mihi expressè D. Thomæ locis nuper citatis, ex cuius verbis potest ratione noua confirmari: quia donec causa efficiens sit in actu, non potest intelligi causa finalis actu causare: nam si sit, ut definit Aristoteles, cuius gratia aliquid fit: si ergo nihil actu sit, non est actu finis, si autem efficiens actum non efficit actu, nihil fit: & consequenter nihil fit propter finem: ergo, de primo ad vltimum, ante actum agentis non est causalitas finis: ergo pari ratione in voluntate ante actionem voluntatis non est causalitas finis circa ipsam in actu secundo. Quod tandem declaratur, quia vel hæc causalitas esset circa ipsam potentiam voluntatis, & hoc non, quia secluso actu illa non aliter se habet, nec immutatur aliquo modo: vel est circa actum ipsius voluntatis, & hoc esse non potest sine ipso actu.

Dico secundo: Causalitas finis in voluntate non est res aliqua, nec modus distinctus ab actu & actione voluntatis: sed est ipsamet actio, quæ simul est & à voluntate in genere causæ efficientis, & à fine in suo genere, scilicet, trahente, & determinate voluntatem ad talem actum. Hæc conclusio hoc solo sufficienter probatur, quia non potest intelligi quid aliud sit hæc causalitas finis, nec aliud est necessarium ut voluntas moueatur in finem: ergo reuera in hoc consistit. Deinde potest exemplis declarari, quia sicut in potentia cognoscitiua actio eius natura sua pendet à potentia, & ab obiecto ut mouente potentiam, ita suo modo actio voluntatis, in potentia autem cognoscitiua eadem actio ut est à potentia est concursus eius ad talem actum, & ut est ab obiecto est similiter causalitas eius: ergo eodem modo in voluntate actio eius, quia intrinsecè, & essentialiter pendet ab his duobus principiis, scilicet à potentia & à fine proposito, ut est effectiue à voluntate, est concursus eius: ut verò est à fine in suo genere causæ, est motio actualis eius, nec oportet in illa actione duas rationes, aut modos distinguere, quia per se ipsam & essentialiter postulat utramque habitudinem. Solum est, differentia, quod in potentia cognoscitiua concursus potest pertinet ad causam effectiuam, in voluntate vero ad causam finalem, quod prouenit ex propriis modis operandi rationalium potentiarum. Aliud exemplum adhiberi potest in causa exemplari, quæ media apprehensione concurrat etiam ad effectum suum, & concursus eius solum in hoc consistit, quod fiat effectus ad imitationem eius: unde in re non distinguitur ab actione agentis, sed eadem actio quæ profluit effectiue ab agente, manat ab idea exemplariter, ut sic dicam, & ut sic, est concursus eius: sic ergo in præsentibus dicendum est.

Vnde intelligitur 1. huiusmodi modum causalitatis finis tantum habere locum in agentibus per cognitionem, nam alia agentia non possunt à fine moueri; & ideo est communis omnium sensus, apprehensione finis esse illi vel ratione causandi, vel ratione effectus.

VII.

VIII.

IX.

1. Corollar.
Causalitatem finis proprie solum reperiri in agentibus intellectibus.

faciam ad causandum. Vt autem hæc causalitas propria ac formalis sit, necesse est vt hæc cognitio sit intellectualis: quia, vt in fra dicemus, solum finis mouet sub ratione boni & conuenientis. Sub hac autem ratione propriè & formaliter solum cognosci potest per intellectum, quia necessarium est cognoscere habitudinem vnius ad aliud, & proportionem quandam inter appetibile, & appetentem, seu inter medium & finem. Vnde bruta, quamuis per cogitationem moueantur ad appetendum, & ideo sit in eis quædam participatio huius causalitatis finis, tamen non est perfecta in eis ac formalis ratio finis propter causam dictam.

X. *2. Corollar. non tamen reperiri in intellectu increato.*
 Secundò colligitur, hanc causalitatem finis, prout exercetur in voluntate, non reperiri propriè in Deo, nec in voluntate eius: sed solum in voluntate creata, quæ per actionem propriam, & actum à se distinctum mouetur in finem: quia vt dixi, vbi non est actio agentis, non est actualis motio finis: sed in voluntate diuinâ non est propria actio, quæ tendat in finem, quia actus, quo Deus vult quidquid vult, non distinguitur à voluntate eius, nec est aliquid factum, seu causatum: nihil enim, quod sit ipsemet Deus, potest habere veram causam; voluntas autem Dei est ipsemet Deus. Dices. Ergo Deus non verè ac propriè operatur propter verum finem. Respondeo, negando consequentiam simpliciter: 1. quia, vt notauit Gabriel in 2. d. 1. q. 5. a. 1. aliud est loqui de fine, aliud de causa finali: finis autem tantum dicit terminum seu rationem extremi, ad quod aliud ordinatur; causa verò finalis, propriè dicit id, quod mouet agens ad operandum: quamuis autem respectu Dei, & voluntatis eius, finis non habeat hanc causalitatem, tamen Deus altiori, & perfectiori modo ordinat effectus suos, seu exteriores actiones ad determinatos fines: & ideo perfectissimo modo, & ablati omnibus imperfectiōibus, operatur propter finem. Secundò, quia licet diuinæ voluntatis non detur propria causa, dari tamen potest ratio eius ex parte finis desumptæ, vt docet D. Thom. 1. cont. Gen. cap. 86. & hoc modo sine causalitate finis circa diuinam voluntatem Deus propriè operatur propter finem. Atq; ex his satis responsum est ad fundamenta aliarum opinionum, in nu. 3. & 5. & amplius patebit ex sequenti sect.

SECTIO II.

Vtrum causalitas finis in voluntate nostra sit tantum respectu mediōrum, vel etiam respectu ipsius finis.

I. **E**xplicata motione causæ finalis in voluntate nostra, superest explicandum, quomplex sit hæc motio, & circa quos actus versetur: uam inde constabit qui sint effectus finis: supponimus autem in genere quosdam actus voluntatis versari circa finem ipsum amando vel intendendo illum, vel fruendo illo; alios verò circa media, quæ propter finem eliguntur. Est ergo quorūdam sententia, causalitatem finis solum exerceri circa media, quæ propter finem appetuntur atque ad eodē motionem voluntatis ad appetendum finem propter se ipsum non esse, nec pertinere ad causalitatem finis, sed solum eam motionem, qua eligit media, vel eis utitur propter finem. Ita Gab. in 2. d. 1. q. 5. a. 1. & Gregor. in 1. d. 1. q. 1. a. 2. & Medina 1. 2. q. 8. in principio, & idem sentit Heruæus quodlib. 1. q. 8. & quodlib. 2. q. 1. quatenus dicit rationem finis consistere in hoc, quod facit media esse amabilia propter ipsum: in quo magis explicat aptitudinem quam actum. Potest autē

Franc. Suarez, De fine hominis.

hæc sententia probari ex Arist. 2. physio. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 2. dicente finem esse eius gratia aliquid fit: nam in hac definitione apertè explicat habitudinem mediij ad finem. Vnde 3. Metaph. cap. 2. inquit, Omne, quod per se & propter naturam ipsius, bonum est, finis est, atq; ita causat, quoniam illius gratia cetera sunt: in quibus verbis significat, illam rem esse finem, quæ per se bona est, & amabilis: & hanc conditionem supponit requiri ante causalitatem finis, hanc verò causalitatem in hoc consistere, quod huius rei gratia aliquid fiat ratione prædicta. Confirmari hoc potest, quia finis dicit essentialiter habitudinem ad media, vt ex ipsa votis proprietate constat, nam finis idem est quod extremum; vbi autem non est medium, nec extremum esse potest: ergo causalitas finis propriè non exercetur nisi circa media. Et confirmatur, nam Deus licet se ipso sit beatus, & se propter se amet, & in se ipso quiescat, non est propriè finis sui ipsius, quia non tendit per aliquid medium ad consecutionem sui, vel suæ beatitudinis: ergo signum est causalitatem finis solum exerceri in ordinatione mediōrum ad finem.

II. Nihilominus dicendum est, finem exercere causalitatem suam circa voluntatem nostram, non solum vt eligentem, vel vrentem medijs, sed etiam vt amantem, vel intendentem finem ipsum. Quam sententiam latè tradidi in disp. 23. Met. sect. 3. & in primis existimo esse doctrinam D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. dicentis, voluntatem nostram operari propter finem, etiam agendo actionem que est vltimus finis; non potest autem operatio esse propter finem in nostra voluntate, nisi interueniente causalitate finis. Idem constat ex loco supra citato, de veritate q. 22. art. 2. vbi dicitur, influxum finis esse amari & desiderari. Idem 3. contra Gentes c. 2. dicit finem esse id, in quod tendit impetus agentis: ergo siue tendat per electionem, siue per intentionem, ibi exercetur ratio, siue causalitas finis. Præterea Aristot. 2. Metaph. c. 2. sic inquit, ipsum eius causa finis, tale autem est id, quod non est alterius gratia, sed eius causa cetera: vbi per negationem illam explicat positiuam quandam motionem, aut conditionem finis propriè ac simpliciter dictam, in qua illa negatio fundatur, scilicet vt propter se ametur seu intendatur: ergo vtraque illarum actionum, seu motionum pertinet ad causalitatem finis, & quodammodo integrat rationem eius, quinimò quòd finis habeat vim ad mouendum & trahendum voluntatem ad se, habet & virtutem trahendi illam propter finem.

III. Vnde rationis argumentor hoc modo, quia si nistrahendo voluntatē ad eligenda media propter ipsum, exercet causalitatem suam: ergo & trahendo voluntatem ad volendum eundem finem propter se. Probatur consequentia: nam in electione mediij propter finem duo possunt considerari: vnum est quòd ex intentione, quæ est actus voluntatis, oritur electio, & hoc non pertinet ad voluntatem finis, sed efficientis, vt postea videbimus. Alterum est quòd finis propositus, & intentus mouet in suo genere ad electionem mediōrum, tanquam forma dans illis appetibilitatem; sed in hoc eadem, vel maior ratio est de ipso fine trahente voluntatem ad appetitionem suam: ergo pertinet hoc ad causalitatem finis non minus, quàm illud. Secundò voluntas nostra tendit in finem per veram actionem suam, quam perfectò, & rationabili modo operatur: ergo sicut illius actionis datur vera causa efficiens, ita etiam vera finalis causa, quæ est prima earum. Tertio, Amor Dei super omnia reuera